

§ 38. . . . senatu decernente cum filio exolavit et in Africa delituit aliquamdiu, postea vero bello civili exorto, quod adversum se Cn. Octavius et L. Cinna gesserunt, in Italiam rediit victorque et adeptus consulatum septimum cum eodem Cinna dominationem gravissimam exercuit et plurimos consularium proscriptos interfici iussit. 5

⟨INCIPIT⟩
CUM POPULO ⟨GRATIAS EGIT⟩

. . . superiore commune est. Restitutus enim M. Tullius, quod eandem causam beneficii videbat in suam dignitatem 10 prope omnium favore conlati, cum gratias egisset senatui, etiam populo consequenter agendas arbitratus in contionem processit et eadem paene, quae apud patres conscriptos dixerat, nunc etiam populo audiente percensem magis, ut opinor, gloriae suaे consulens, ut existimetur omnium 15 ordinum consensu restitutus nec ulla ⟨pars⟩ populi ab sua dignitate dissenserit: quo videlicet honestius gloriatur necessarium se tuendae patriae iudicatum. Et hic igitur demonstrativaē qualitatis implet exsecutionem simul et beneficia commemorans et vim querellae in invidiam con- 20 ferens inimicorum, quia sive auctores fuerant exolandi sive quia diu facultatem non permiserant revertendi.

EXPLA Natio

§ 1. Quod precatus a Iove optimo maximo.

Sponsorēm quandam votorum suorum perquam oratorie 25 facit in exordio, ut non humanitus modo, verum etiam divinitus de restitutione sua iudicatum intellegi velit, quandoquidem sic eum constet omnia in praeteritum pro